

Apostolici Ministerii declaravit quod Hispaniarum Regna , statuens congruae aestimationem fieri debere iuxta taxam Dioecesis domicilii , non beneficium , nisi continuam , et praecissam requirat residentiam . Adiunxit etiam , quod , si is , qui ratione beneficij ab Episcopo Dioecesis in qua illud situm est , ordinari optat , vivere statuat in loco domicilii , examinari ab Episcopo domicilii debeat super idoneitatem antequam litteras testimoniales concedat .

Sed hucusque alata minime impediunt quod ordinari quis valeat ab alieno Episcopo cum proprii licentia : hoc namque et antiquitus licuit , et nunc licet .

Facultas haec tribui hodie solet per litteras missorias , quea olim longe diverso sensu acciebantur , constat enim dari consuevit Clericis nusquam in suam Dioecesim reversuris . Ius hasce litteras concedendi penes Episcopum est , praesertim post Concilium Trident . quod in sess . 23 . cap . 10 . substulit privilegia , quea Praefatis inferioribus hac in re mediis temporibus fuerant concessa : insuperque statuit neque Capitulo sede vacante hanc facultatem competere , nisi Ecclesia per annum vacaverit , aut arcatus ratione beneficii recepti , aut recipiendi eas postulet . sess . 7 . de Reform . cap . 10 . Nemini autem dubium est Vicarium Generalem concedere eas posse , si specialiter Episcopus hanc facultatem ei concesserit .

Diversae sunt litterae , que vocantur commendatiiae ; tribuntur enim Clericis ad aliam Dioecesim ad tempus migrantibus negotii aliquis ibidem gerendi causa .

Plurimi deinde adiunctis factum est , ut eorum Tom . I .

TITULUS XXIII.

De officio Archidiaconi.

Adignitate Episcopali , de qua hactenus , licet pluriē interrupta serie , egimus , transit Raimundus ad inferiores ; et tractat primum de Archidiaconis , sive quod amplissima fuerit eorum Dignitas , sive quia nonnunquam fuere Vicarii Episcoporum , dictique eorundem oculi .

Constans apud omnes est difficile admodum esse iura Archidiacorum colligere ex monumentis , quae tum in hac , tum in Gratiani Collectione habemus , ex eo quod eorum pleraque dubiae fidei sint , coetera nihil certum exhibeant . Paucis ego concludam quae ad Tyronom notitiam sufficient , ex his quae apud melioris notae AA. leguntur ; inutile enim foret longius spatiari , cum hodie eorum munus ad nihilum redactum sit , et si quae iura alicubi retinent , ea pendeant ex singularibus Ecclesiarum statutis , et consuetudinibus .

Cum Episcopi nequeant universa per se equi , debuerunt aliorum ministerio uti , qui vicarium ipsis praebenter operam : quod aequè ante Apostolis contigerat ; sibi enim adiutores septem Diaconos propterea eos elegisse scimus : auctò verò deinceps Diaconorum numerò , congruum visum fuit unum ex eis coeteris praeficere , qui appellatus fuit Archidiaconus , quasi primus Diaconorum : hunc Episcopi sibi Vicarium adiunxerunt reliquis ministerio Presbitorum destinatis . Coeterum Episcopi certa non expresserunt negotia , quibus Diaconi deberent intendere , sed nunc plura , nunc pauciora eisdem delegarunt , praecipue verò illa , quae spectabant bonorum ecclesiasticorum curam .

Plurimis deinde adiunctis factum est , ut eorum Tom . I . L po-

82 EXPLANATIO IUR. DECRETAL.

protestas in dies cresceret. Et quidem in primis, cum Episcopi curam temporalium ipsius dehandassent, colligebant quidquid totius Dioecesis Eclesiae decimorum iure, aut alteri a fidelibus offerebatur: nam etiam post erectas Paraecias decimae omnes ad Ecclesiastim deferebantur Cathedralem, ut suo loco latius dicemus: Archidiaconis autem curae erat singulis Ministris necessaria ad victimum, et vestitum per hebdomadas, aut in mens tribuere, iuxta antiquam peculii ecclasiastici administrandi formam, de quo etiam alibi instituetur sermo: in his autem adjunctis non ita difficile fuit Archidiaconis auctoritatem suam extenderet. Deinde instituta vita communis in Clero, consensus Archidiaconi fuit quadammodo necessarius ad eorundem institutionem; namque ipse prius consuli debuit, ne plures ordinari contigeret quam ferre possent redditus Ecclesiae. Denique, cum frequenter ipsi migrarent ad Paraecias, que aucto fidelium numero erectae fuerunt in Villis, et Pagis, sive ut praedicti viserent, sive, ut colligerent decimas, et oblationes, committebant ipsis Episcopi Paraeciarum ipsarum visitationem. Elati his omnibus, non solum superiores sese dixerunt Archipresbiterum, sed etiam quaedam, que frequenter sibi ab Episcopis delegabantur, vindicare coeperunt tanquam ordinario iure sibi competentia; hinc autem frequentissimae emanarunt contentiones inter Episcopos, et Archidiaconos, praesertim postquam dissoluta fuit vita communis, et inducta hodierna beneficiorum forma. In plerisque Ecclesiis finis rixis impositus fuit opere transactionum: unde qui iura Archidiacorum hodie scire velit, consulere debet specialia cuiusque statuta, et consuetudines, cap. 10. b. tit.

Ne cui negotium facessant plura monumenta, quae extant in Corpore iuris, animadvertendum est, quod in quibusdam eorum continentur opiniones, quae hinc inde propugnabantur. Quam dubiae fidei sunt

TITULUS XXXIII. 83

sint monumenta, quae refert Innocentius III. in cap. 7. ^{NA}
videlicet potest apud Berardum. *Canonem 1. dist. 125.*
caute esse legendum notarunt Correctores Romani.
Denique circa visitationem Ecclesiarum, examen ordinandorum, et cognitionem causarum, consulenda
apriime sunt Decreta Concilii Trid. sess. 24. cap. 3.
de Reform. et 18. sess. 23. cap. 7. Ad praedictas temporum vicissitudines referenda sunt quae de officio
Archidiacorum traduntur in *lege 4. tit. 6. Part. 1.* ³

TITULUS XXIV.

De officio Archipresbiteri.

Quemadmodum ad curam temporalium Archidiacorum, ita ad spiritualia adiunxerunt Episcopi Archipresbiterum, qui dicitur primus Presbiterorum: imo quando satis non esse credebatur Civitatis, unum, aut plures constituerunt in Pagis, qui dicuntur Rurales.

Quaenam sit eorum Dignitas, et iura, quae ipsi competit, disces ex singularibus cuiusque Ecclesiae statutis, et moribus; ad quae revocanda quoque sunt quae continentur in *leg. 8. tit. 6. Part. 1.* ³

TITULUS XXV.

De officio Primicerii.

Primicerius vulgo ille dicitur, qui in Choro cantui praest, quasi Praecentor, unde eius denominatio; vel forsitan ex eo quod primus describeretur in Cera, aut Matricula. Sed Berardus censet hoc potius convenire Decano, sicut praeesse cantui Cantori, cum quibus minimè confundendum existimat Primicerium; nam arbitratur, hunc fuisse praefectum Notariorum, nam iuxta veriorem sententiam desumebantur ex Dia-

conis, ut Conciliorum, et Martirum Acta scriberent, et libros ad Divinum Officium pertinentes curarent, atque transcriberent. Sanè gravissimo huic muneri praefici aliquis debuit, qui Notariorum in curiam, forsè et malitiam coerceret; et Primicerio hoc competitissime saltè innuere videtur *cap. un. b. tit. Communem opinioneam sequuta fuit lex nostra 5. tit. 6. Part. 1.*

TITULUS XXVI.

De officio Sacristae.

Archediaconi, quibus temporalium curam mandata diximus, sumpsisse videntur sibi Coadiutores Primicerium, Thesaurarium, Sacristam, atque Custodem. De primo sat iam: coeteris curae fuerunt vasa sacra, ornamenta, atque luminaria.

TITULUS XXVII.

De officio Custodis.

Idem videtur fuisse officium Custodis, atque Sacristae; hoc tantùm discrimine, quod universi thesauri ecclesiastici curam haberet Sacrista, qui proinde multis idem est, ac Thesaurarius, ad Custodem verò solicitude circa res minoris ponderis spectaret, praesertim verò eas, quae ad usum quotidianum opus erant. Alli è contra censem curam rerum minorum ad Sacristam, maiorum ad Custodem pertinuisse: que omnia facilè quisque videt quam parum morari nos debeant. Sanè verò videtur prima sententia in conspectu *cap. 8. b. tit. In Lege Regia 6. tit. 6. Part. 1.* idem est Custos, ac Sacrista.

TITULUS XXVIII.

De officio Vicarii.

Memorata superius Archidiaconorum elatio in causa fuit, ut Episcopi cogitarent de assumendo sibi alio genere Vicariorum: cum enim sat fuissent experti quo incommode esset obnoxia Vicariatum certis Dignitatibus annexendi norma, satius duxerunt certas ad hoc munus personas eligere ad nutum amovibiles, quibus nunc maiorem, nunc minorem tribuerunt potestatem; indeque emanarunt distinctae species Vicariorum. Alii dicuntur Vicarii tantum, quoties solū ad spiritualia assurguntur; alii Officiales, dum unice ad temporalia, vel potius forensia; alii denique Vicarii generales, quibus tam spirituales, quam forenses commituntur res. Sunt praeterterre foranei, qui extra Urbem constituantur.

Electio Vicarii generalis, quales sunt, quos hodie conspicimus, tota pendet ab arbitrio Episcopi; nequi tamen quilibet eligere, sed praeditus sit oportet qualitatibus in iure expressis, instructus nempe sufficienti scientia, viginti quinque annos natus, Doctor, aut Licentiatus in iure, vel alijs quoad fieri possit idoneus, denique Clericus saltē primae Tonsuræ, quanvis Assessoris munus etiam laicus habere possit.

Nuperrimè Supremus Senatus iustissimis de causis hanc facultatem coercuit Episcopis, id tantum indulgens, ut quos ad Vicariatus generalis munus obendum desiderent, ipsi Senati proponant.

Quaeri solet utrum ordinaria, an delegata sit iurisdictio Vicariorum huiusmodi: quod parum interesse notat rectè Berardus, dummodo sciamus à sententia Vicarii non appellari ad Episcopum, cum idem sit Tribunal utriusque, contra quam accideret olim

olim in Archidiaconis; deinde mortuo Episcopo finiti iurisdictionem Vicarii, ut configit omni Delegato re integra: denique electionem Vicarii semel ab Episcopo factam probari à iure.

Ambiguit etiam an cogi possit Episcopus sibi Vicarium assumere: quod nullatenus concludi posse ex iure scripto idem existimat, nisi canones, qui loquuntur de Oecono, in quo diversa est ratio, ad Vicarium torqueantur.

Moveri quoque quaestio solet de iis, quae gerere Vicario licet, vel non. Et quidem consulendae in primis sunt litterae constitutionis, à quibus praecepü eius potestas pendet: si vero generaliter fuerit constitutus, locus fiet regulæ, quae statuitur à Bonifacio VIII. in cap. 2. et 3. b. tit. in 6. in concessione nempe generali non venire ea, quae quis verisimiliter non fuisset concessurus: quae nam autem haec sint, desumendum erit à communis, atque recepta Interpretum sententiā, qui vulgo enumerare amant sequentia. Primo omnia, quae ad potestatem Ordinis spectant, de quibus quaestio esse potest, si Vicarius charactere gaudet Episcopali: concessionem litterarum dimissoriarum, nisi Episcopus in remotis degat locis: collationem beneficiorum liberam, nam aliud censetur de ea, quae fit ad Patroni presentationem: eorundem suppressionem, unionem, atque unionum factarum revocationem: denique admissionem resignationum, tam simplicium, quam causâ permutationis. Haec inquam requirere vulgo censetur mandatum speciale.

Nb. Vicarii foranei exequuntur extra Urbem Episcopalem, quae ipsis ab Episcopis demandantur, atque plerumque nudum exercent ministerium, licet quandoque ipsis iurisdictione ad quaedam levioris ponde-^{ris} concedatur; quo casu appellabitur ab eorum sententiis ad Episcopum, aut Vicarium generalē, uti à Delegatis ad Delegantem, cum dici nequeant idem

ha-

habere tribunal cum Episcopo, aut Vicario generali. Eorum origo antiquissima est, utpote repentina à Corepiscopis, quorum frequens in vetustis Conciliis mentio (1).

Tandem, cum Vicarii appellantur quicumque vi-
ces alterius gerunt, recenseri adhuc plurimi possent:
illorum cognitione praecepü expedite, quorum opera
utitur Rom Pontifex tum Romae, tum extra Urbem:
deinde eorum, qui ab his statuantur, qui Dignita-
tem obtinent cum iurisdictione: denique iis annecti-
endi, qui ob Ecclesie utilitatem Parochis permittun-
tur, si nempe senio, aut infirmitate correpti satis
muneri suo esse nequeant; si cura Dignitati anne-
xa sit; si ad Capitulum, aut Collegium pertineat;
denique si in una Parochia plures vici sint: aut in
aliis similibus adiunctis, quae prudentiae Episcopi
proprii relinquuntur, ut ipse aestimet an expedit
unum, aut plures assignata congrua portione consti-
tutuere Vicarios iuxta Bullam Pii V. et declarationem
Innocentii XIII. in Bulla Apostolici Ministerii pro
Regni Hispaniarum. Ubi notandum est praedictos
Vicarios aut esse perpetuos, aut temporales: per-
petui eodem iure funguntur ac Parochi; ita ut semel
recte instituti removeri nequeant, nec portione as-
signata fraudari, cap. 3. b. tit. deinde, sicut nemo

(1) Disputatur hinc inde an Corepiscopi veri Episcopi fuerint: sed magis recepta sententia est eos fuisse tantum Presbiteros hodiernis Vicariis foraneis non dissimiles: quanvis nonnunquam etiam veris Episcopis hoc munus tributum fuerit, illis ni-
mirum, qui à suis Sedibus ejecti fuerant, aut quorum Ecclesiae
fuerint dirutae: imò et his, qui in schismate ordinati, poenituer-
rant. Forundem instituto, initio quidem sanctissima, abo-
leri deinde debuit ab Ecclesia, praesertim postquam saeculo
nono illud vitium inductum est, ut ignavi quiddam Episcopi
Vicarium Episcopum ordinarent, tributo illi Corepiscopi nomi-
ne, qui Pastorali curae incumberet dum ipsi voluntibus
vacabant.

habere potest plura beneficia, ita nec plures Vicariatus, aut unum cum beneficio, cap. 2. Tandem in cap. 4. prohibentur Vicarii alios sibi substituere. Vicariis proximi sunt Coadjutores, quos cum futura successione dari prohibuit Concilium Trident. sess. 25. de Reform. cap. 7. nisi necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas exigat, et insuper accedat S. Pontificis auctoritas.

TITULUS XXIX.

De officio, et potestate Iudicis Delegati.

Quod superiori tit. obiter tetigi de Vicariis Summi Pontificis, latè hic venit explanandum. Et sanc assignari possent plures Vicarii Pontificii, si de singulis agere licet: cum verò id minimè patiatur nostrum institutum, de his tantum sermo erit, qui ad hunc, et sequent. tit. pertinent. In praesenti de illis agitur, quibus certum aliquod negotium committitur à S. Pontifice, et dicuntur Delegati; in sequenti de illis, qui in Regnum, aut Provinciam quandam mittuntur certis facultatibus instructi, aut quibus inibi degentibus eadem tribuuntur: hi appellantur Legati.

Et quidem Delegatus generaliter ille dicitur, qui alterius vices in negotio gerit, cum delegare nihil aliud sit, quam vices suas alii committere: quod pluries efficere S. Pontifex cogit, tum ob multitudinem negotiorum, tum etiam vitandis sumptibus, quibus aliquo obnoxii redderentur fideles. Ut autem aliqua claritate in hac obscura nimis materia me expediam, primò subjiciam qui delegari possint; deinde quaeannam servare debeat Delegati in expeditione negotii sibi commissi: postremo agetur de Subdelegatis.

Delegari cause his tantum personis possunt, quae or-

ornatae sint qualitatibus in iure expressis; quarum prima pertinet ad aetatem. De ea nihil appetet statutum in iure canonico ante tempora Gregorii IX. qui in cap. 41. b. tit. definit maiorem viginti annis delegari à quocumque posse, minorem nonnisi ab eo, qui supremam exercet potestatem; coeterum Partes consentire posse in eum, qui maior sit decem, et octo annis. Utrum haec decisio orta sit ex pravo Interpretum intellectu ad leges Romanas, ut plerique contendunt, meum non est discutere: sanè animadvertere non desinam plures iuris canonici decisiones in hac materia reperiri, quae convenient opinionibus, quae invaluerant apud Interpretes civiles medii temporis, hoc est, non ita peritos; verum non eo minus subsistent, cum, ut observat Berardus, potuerint Sum. Pontifices stabilire contraria germano, veroque legum Romanarum sensui, utpote eis minimè obstrici.

Praeter aetatem requiritur in Delegatis prudenter, congruaque scientia iuri: in quo, cum ob locorum distantiam, et potentium suggestionem facile esset S. Pontificis decipi, et personis non undequaque idoneis causas delegare, statuit Bonifacius VIII. in cap. 11. de *Rescript.* in 6. ut à Sede Apost. et eius Legatis, tantum delegarentur causae personis Dignitatem, aut Personatum obtinentibus, seu Canonicis Cathedralium Ecclesiarum; in his enim, velut Episcopi Consiliariis, repertum iri existimat conspicuas virtutis, et scientiae dotes. Clemens V. in Clement. 2. de *Rescript.* decrevit Officialem principalem Episcopi, seu Vicarium in forensibus, et Priorem Conventualem delegari posse, sed minimè Vicarium foraneum, et Priorem Claustralem, qui vulgo Sub-Prior dicitur. Tandem Sinodus Trident. in sess. 25. de Reform. cap. 10. statuit, ut in singulis Dioecesanis, aut Provincialibus saltē quatuor personae eligantur, quae qualitates habeant

iuxta praedictam Bonifacii VIII. Constitutionem, et alias ad id sint aptae, quibus causae delegandae comitantur à Sede Apostolica, quolibet Legato, aut Nunio; ita ut delegationes quaecumque alii, quam his factae, subreptitiae censeantur. Statut insuper, ut, si aliquem ex designatis interim mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium usque ad futuram Provincialem, aut Dioecesanum Sinodum, ita ut habeat quaque Dioecesis quatuor saltē, aut etiam plures probatas personas, et qualificatas, quibus causae delegari valeant. Denique praecepit, ut designationem factam statim Episcopi ad Sedem Apost. transmittant. Hoc Trid. Decretum saluberrimum esse, et plurimū confers ad rectam iustitiae administrationem, omnes equidē agnoscunt, quapropter haud facilē quis crederet Episcorum incuriam in transmittendo ad Sedem Apostol. personarum designatarum catalogo, ni Benedictus XIV. de *Sinod. Dioeces. lib. 4. cap. 5. n. 6.* expressè assereret unicum tantum exemplum inveniri huiusmodi transmissionis factae: unde non mirum si plures personis non omnino idoneis causae fuerint delegatae: cum enim, ut ipse S. Pontifex ait, Officiales Sanctae Sedis divinare non possint quinnam in hac, aut illa Dioecesi idonei sint ad Apostolicas commissiones rite subeundas, ad eos dirigunt Apostolicas litteras, quos audiunt speciosi aliquo titulo condecoratos, quanvis non ignorent sub speciosi tituli cortice homines aliquando latere satis rudes, et crasos.

Praedicti Trident. Decreti observantiam iussit districte idem S. Pontifex in *Epist. ad locorum Antistites*, quae incipit: *Quantis*, insuper praeceptiens, ut, si Dioecesis amplitudo, et aliae circumstantiae prope id exposcere viderentur, plures quatuor eligerentur persone. Deinde monet Ordinarios, quod, licet ad tramites Decretalis Bonifacii VIII. cui conso-

na

na sunt disposita à Concilio Trident. facultas haec iudicandi tribuenda sit personis dignitate aliqua ecclesiastica, personatu, aut canonicatu Cathedralis Ecclesiae insignitis, huiusmodi qualitates ita sint accipientes, ut non desit altera, potissimum requisita, qualitas nempe doctrinae, et idoneitatis, in qua summa negotii est constituta.

Causas quoque matrimoniales iidem Iudicibus Sinodalibus committi iussit in defectum Episcoporum in Constitutione, quae incipit *Dei miseratione*. Consulendae circa idem sunt litterae encyclicaes incipient. *Quanvis paternae vigilantiae*, anni 1741. Quanam sit causarum dirimentarum ratio in his Regnis reperies lib. 2. tit. de *Appellat*. Et quidē patet ex his quibusnam delegari debeant causae.

Quoad formam à Delegato servandam sciendum in primis est, eum nequitiam excedere eam posse, quae in delegatione expressa est, iuxta regulam mandatorum, quae dictat mandatarios transgredi non debere mandati terminos: sed gerere aequē poterit omnia, sine quibus exequi mandatum nequit, quanvis non sint expressa: veluti Partes citare exhibitis consuetā formā litteris delegationis, ut de ea dubitari nequeat: inobedientes, aut impeditentes, punire: sententiam à se prolatam exequi, aut executionem demandare: illusoria enim aliqui redderetur iurisdictio Delegati; receptumque generaliter apud omnes est, ei, cui iurisdictio committitur, commissa aequē censeri ea omnia, sine quibus iurisdictio nequit exerceri. Ita tantum haec licent Delegato, ut, quanvis ipso maior sit is, cui sententiae executionem committit, parere teneatur Delegato, à quo aliqui poterit coerceri; ex eo nempe quod Delegatus in negotio sibi commisso sum. Pontificis vices gerat, et proinde in hoc maior sit Subdelegatus: coeterum servare debet in coercitione modum, qui praescribitur in cap. 2. b. tit. in 6. ut nimurum pri-

mō ingressum ei Ecclesiae , vel Sacerdotale ministrum interdicat ; deinde ab officio suspendat , et subsequenter aggraver censuram ecclasiasticam , nisi forte aliter fieri suaserit nimia contumacia protervitas , sive culpa . Si Delegati sententiam iniustum esse censeat Subdelegatus , aut nimis duram , precibus apud ipsum instare poterit , ut executionem suspensi patiatur donec ad Sum. Pontificis notitiam res deferatur , cap. 8. b. tit.

Concilium Lateran. statuit in favorem litigantium , ut extra suam Dioecesim trahi à Delegato nequeat ultra duas diaetas ; nisi ipsi consenserint : nomine autem diaetas in leg. 3. ff. de verb. significat. intelligitur spatiū viginti milliariorū : verū immutata fuit haec Constitutio à Bonifacio VIII. in cap. 11. de *Rescriptis* in 6. vers. Cum vero , et vers. Cum autem , ubi statui primō , quod , cum eiusdem Civitatis , seu Dioecesis fuerint actor , et reus , extra ipsas causa non committatur , exceptis casibus , qui ibidem exprimitur : cum vero actor , et reus Civitatum , et Dioecesum fuerint diversarum , si actor in Civitate , vel Dioecesi rei iudicem habére rebus cuset , ipsum in alia , non in sua , liberè impetrare posse ait , et reum ad eandem trahere , dummodo ille locus ultra unam diaetam non sit remotus . Praecipit insuper Delegatis , ut gratuitum praestent officium , nec quidquam accipiant à Partibus praeter esculentum quid , aut poculatum . Denique strictè eis inhibet plures testes admittere , quam necessarios .

Ultra praedicta scire oportet delegatos , si munus suum obire rectè cupient , vim clausularum , quae adjici conseruerunt rescriptis delegationem factam continentibus : ex his autem praecipua ea est , per quam causa committitur *appellatione remotā* . Acriter disputarunt Interpretes de eiusdem effectu , aliis tantum frivolam , et frustratoriam , aliis etiam le-

legitimam , et iustum appellationem per eam excludi contendentibus . Quamcumque quis amplectetur sententiam , statim aderant difficultates ; si enim diceres iustum appellationem per hanc clausulam removeri , occurret id contrarium esse iuri naturali , quod suadet appellationis iustae admissionem , quatenus defensionem includit : sin autem oppositam sententiam sequeris , objiciebas appellations frivolas , et frustratorias semper à iudice esse spernendas , atque proinde superfluam esse praedictam clausulam . Berardus , attente scrutatus disciplinam temporis , in quo haec clausula adjici rescripti coepit , veram invenisse videtur rationem , ob quam dici debeat frivolum tantum appellationem per eam excludi , quin tamen exinde sequatur inutilē esse eiusdem adjectionem . En eius sententiam . Nono saeculo gravis emerit controversia inter Pontifices Romanos , et Gallicanos Episcopos , ex eo , quod hi rejicierent appellationem , quam ad Sedem Apost. interposuerat Rothadus Suessionensis Episcopus , damnatus in Sinodo Provinciali Silvanectensi (1) : quod aequē accidit Hicmaro Episcopo Laudunensi , Patruo suo Hicmaro Rhemensi in utrumque saeviente (2) . Pontifices ergo decimi , et undeci-

(1) Hicmarus Archiepiscopus Rhemensis , ob praestantem erudititionem perquam notus , sed crudeli , et infensissimo animo in quoescunque superbiae sue obstinentes , Rothadum Suessionensem Episcopum , Suffraganeum suum , optimum Señem , ut eum appellat Cabassutius , deponi iniustissimè fecit in Sinodo Silvanectensi anni 863. cui ipse praesidebat , degradatunque in Monasterio réclusit , quantuvis ad Roma Sedem appellaverat . Hicmarum ex eo solum invectum in Rothadum affirmat Cabassutius , quod Sacerdotem sue Ecclesiae , moribus dissolutum , et in stupro deprehensum Sacerdotio abdicasset . Nicolao Papae obtemperare renuit Hicmarus , sed tandem acquevit eius iudicio , et apologetica Epistola se excusavit .

(2) Incredibili tirannie usus fuit Hicmarus Rhemensis in nepotem suum Hicmarum Episcopum Laudunensem , quem ab

mi saeculi quaslibet appellations, etiam frivolas, admittabant, ad asserendum sibi appellationum ius, quod negabant Galli: finito verò hoc dissidio, solliciti de recto iudiciorum ordine, adjicere cooperunt scriptis delegatorii clausulam *appellatione remota*, per quam excludi volebant appellations, non quidem iustas, sed frustratorias, quae ob praedicta adjuncta admissae aliquatenus fuerant.

Frequentissima est etiam clausula, *ut si omnes interesse non possint, unus, aut duo intresint*: cum enim Sedes Apost. libentius pluribus, quam uni, causas committere soleat, quia, ut dicitur in cap. 21. b. tit. integrum est iudicium, quod plurimorum sententis confirmatur; ne inde dilationes orientur, adjicere consuevit praedictam clausulam, quae ita venit intelligenda, ut primò cognoscere uni, aut duobus non licet, si v. c. tribus commissa causa fuerit, antequam per munitionem, litteras, aut alijs canonice constituerit tertium interesse non posse: deinde sub impotentiā etiam noluntas comprehenditur; itaque si unus interesse nolit, cum possit, gravissime quidem est arguendus, sed minimè impedit reliquis cause cognitionem cap. 21. b. tit.

Sed et scire oportet quibus modis officium Delegatum ab Episcopatu dejectum in carcere detrudi fecit, onustum catenis ferreis, imò et oculis orbari, Sum. Pontificum, ad quos Laudunensis appellaverat, iussa spernens. È occasione habitate sunt in Galilie nonnullae Sinodi apud Vermeriam, Attinacum, et apud Duziacum, in quibus nullus audebat discipere infensissimo Hincmaro Rhemensi, quem magno auctoritate sustinebat Rex Carolus. Sed tandem sub Ludovico Balbo agnoverunt omnes infelici Rei innocentiam, atque iniustam Patru sui vindictam: restitutus ergo fuit in Sinodo Tricassina pristinæ dignitati, praesidente ipso Ioanne VIII. Sum. Pontifice, qui prius absque iudicio forma probarerat eius damnationem, ductus nimis illa formidine, et facilitate, quae occasionem præbuit configundae fabellæ de Ioanna Papissa.

gati finiatur, ne forsitan in causa procedens excedat. Et quidem id primò accidit morte delegantis re integrata: si autem queratur quando desinat res esse integra, id non satis constare dixi in tit. de *Scriptis*: sanè ego malim asserere Urbanum III. dissensisse à Lucio III. et capit. 19. b. tit. sententiam correctam fuisse in 20, quām admittere varias illas, sed parum consonas conciliaciones, quae apud Interpretes hac in re inveniuntur: itaque concludetur rem integrum esse desinere, quoties citatio facta fuerit, quia necessaria sit litis contestatio. Exceptio est in cap. 9. b. tit. in 6. et 10. de *Haereticis*. in 6. in quorum primo agitur de Delegato ad executionem gratiae ab Apostolica Sede factae, cuius officium morte concedentis contingente re integrâ non perimitur, sicuti non perimitur ipsa gratia, licet nondum sit in executione eius processum; ne gratiam eandem vel redditum omnino inutilem, vel ipsius effectum in tempus longius deferri contingat cum illius dispendio, cui facta fuit: in secundo verò assertur in favorem fidei officium Inquisitoris alicui à Sede Apost. commissum morte committentis non finiri, nec quadam negotia, quae in eius vita nondum emerserant. Secundo finitur delegatio morte ipsius Delegati, si personae, non dignitati facta fuerit. Tandem revocato mandato. Et haec quidem de Delegatis.

Delegati non semper adimplent per se mandatum, neque enim multoties id expediret; sed mandare solent totum, aut eius partem aliis, qui vocantur Subdelegati.

Asseritur vulgo disciplinam subdelegationum transmissam fuisse ad ius canonicum à civitate, emanasseque ex pravo intellectu legum Romanarum, quae agunt de iudicibus datis, siisque, quibus non nuda notio, sed iurisdictio mandabatur: quidquid de hoc sit, certum est receptum esse, quod subdelegari possit principium, medium, aut finis causæ,

96 EXPLANATIO IUR. DECRETAL.

cap. 18. et 27. b. tit. quin contrarium deducatur ex *cap. 34.* ubi Delegato minimè negabatur facultas subdelegandi , sed objiciebatur subreptio . Excipiuntur verò ab hac regula nonnulli casus , veluti *si causa maximè gravis sit , cap. 3.* si electa fuerit *personae industria , cap. ult. b. tit. et 12. in 6.* si *Delegatus sit merus executor , aut solùm datus ad testimoniū receptionem , d. cap. ult. §. ult. in quo aliud placuisse videtur Concilio Vienn. Clement. un. b. tit.* denique , si Delegatus malitiosè exonerare se inten-*dat , cap. 28. b. tit.*

De Appellationum à Delegato , aut Subdelegato interponendarum ratione dicetur lib. 2.

TITULUS XXX.

De officio Legati.

Quanvis olim plures fuerint Legatorum Pontificiorum species , hodiè tres agnoscimus , *Natos* nempe , *Missos* , et à *Latere* . *Nati* dicuntur , qui ratione dignitatis , non personae , legatione funguntur ; quorum origo antiquissima est , cum semper ferè consueverint S. Pontifices certas spectabiliores Sedes in quolibet Regno designare , earumque Praelatis Legationis , seu Vicariatus munus conferre : sic in Galia Arelatensis , in Anglia Cantuariensis , et in Hispania Zeno Hispalensis constituti leguntur à Simplicio , Ioanne Tarragonensis , et Salustius item Hispalensis ab Hormisda ; denique S. Leander à Pelingio II. quanvis certum sit horum quosdam ratione personae potius legatione functos videri .

Missi appellantur qui ad certum Regnum , aut Provinciam à Pontifice mittuntur : ipsique , si *Cardinales sunt* , vocantur *Legati à Latere* .

Non solùm nomine , sed potestate etiam , et iurisdictione , in vicem inter se distinguuntur . Et quidem

TITULUS XXX. 97

dem *Missi* olim nullam habebant iurisdictionem ; tantum in id mittebantur , ut apud Imperatores , et Reges manendo , ipsos in devotione Rom. Sedis conservarent , simulque denunciarent Sum. Pontifici , si quid in eo Regno accideret , quod spectaret Romanam Eclesiam , aut Universalem : unde etiam dicti sunt *Apocrisiarii* , et *Responsales* : verum omnia , quibus necessaria esset iurisdictio , pertinebant ad *Legatos Natos* .

Sæculo undecimo confèdi coepit Legatis , qui mittebantur , iurisdictio : unde imminut debuit ex tunc potestas Natorum : deinde , cum eodem tempore invaluerit consuetudo mittendi ad Legationes Cardinales Rom. Eclesiae , quoties hoc contingebat , maior , ampliorque eis potestas tribuebatur : imò amplissima processu temporis evasit eorum auctoritas . Hinc iure Decretalium habent iurisdictionem in Suffraganeos , Metropolitanos , Primate , et Patriarchas : dum ipsi in Provinciam ingreduntur , cessat potestas coeterorum Legatorum : concurrunt cum Ordinariis , et eorum iurisdictio dicitur ordinaria post Constitutionem Clementis IV. in *cap. 2. b. tit. in 6.* in quo exequantur Proconsulibus , coeterisque Praesidiibus , quibus certae Provinciae moderandae decernebantur . Deinde reservant beneficia ad Clerici præsentationem pertinientia cum moderamine , quod legitur in *cap. 1. b. tit. in 6.* ut nimirum Legati Cardinales id possint , non reliqui quantuncumque amplam legationem habeant , nisi ex speciali indulgentia : absolvunt à censuris , quanvis certò non constet de iis , quae Papae reservatae sunt , saltè post Tridentinum . Notat etiam Giraldi ad hunc tit. Sacram Congregat . declarasse Legatum , et Nuntium Apostolicum absolvere non posse absque speciali facultate ab excommunicatione ob violationem immunitatis eclesiastice . Nunquam inventur concessa illis facultas transferendi Episcopos , untiendi , aut dividendi Episcopatus ,

tus , aut unam Ecclesiam alii subiiciendi , nisi ex singulari Pontificis affectione . Denique , sive de Legatis à Latere , aut Nuntiis sermo sit , nihil certi statui potest , cum nunc maiores , nunc minores facultates ipsis tribuantur .

Concilium Trident. optimè agnoscens nuper relata potestate Legarorum iurisdictionem Ordinariorum turbari , restrinxit eorundem iura in sess. 24. de Reform. cap. 20. statuitque , ut causae omnes ad forum ecclesiasticum quoniodolibet spectantes , etiam si beneficentia sint , in prima instantia coram loco Ordinariis cognoscantur ; prohibens Legatis , etiam à Latere , Nuntiis , Gubernatoribus , et aliis quavis potestate pollutibus , Ordinarios turbare , aut impidere , vel contra Clericos procedere , non requiri .
 Ad. prius Ordinarius , eoque negligente . Quae utilissima sanctio ut custodiatur , neve quidquam moliantur Legati Ordinariorum iuribus , aut Subditorum quieti adversum , vel Concordatis , ac Regaliis contrarium , prudentissima cautio est in his Regnis , ut non ante permittatur Legatis Pontificis , quocumque nomine vocentur , iurisdictionis exercitum , quam litterae Legionis in Supremo Consilio revisae , et annotatae fuerint : quod et in Gallia servari tradit Annibal Fabrotus .

TITULUS XXXI.

De officio Iudicis Ordinarii.

A Delegatis , et Vicariis in eo Ordinarii differunt , quod hi proprio iure iurisdictionem exerceant , ratione nimirum dignitatem , quas obtinent , illi verò alterius concessionem . Hinc facile invenire est plures Iudices ordinarios in Ecclesia ; verum hic de Episcopis tantum agemus , cum omnia capita Tituli ad eorundem officium pertineant .

Episcopatum non in honore , sed in labore potius con-

TITULUS XXXI.

99

consistere , Episcoposque , quorum opera perpetuatur in Ecclesia Apostolicum ministerium , assiduum , nunquamque intermissionem euram impendere teneri , ut fideles ad aeternam beatitudinem perducantur , nullus sane eorum aut ignorat , aut diffitetur : èo ergo tendere debent ipsorum vota , laboresque omnes , ut commissis sibi gregi assiduè invigilantes , fideles in mandatis Domini instruant , vitia eliminant , virtutes plantant ; quae cum praestare nequeant nisi verbi Dei prædicatione , frequentibusque ad populum suasionibus utantur , merito à sacris canonibus iniungitur , ut hoc munus per se obire incunctanter pergant : sin autem propter multiplices occupationes , invalitudines corporis , aut incursum hostiles per se id exequi nequeant , iubentur in cap. 15. b. tit. viros idoneos in id assumere , eisque , si indigeant , necessaria ministrare , ne pro horum defectu ab incepto desistere compellantur . Haec saluberrima constitutio innovata conspicitur in Trident. sess. 5. de Ref. cap. 2. sess. 24. de Ref. cap. 4. De obligatione praedicandi , quae Parochis incumbit , satis infrā .

Ad vitia eliminanda coercione opus esse nemo dubitat , cum suassiones parùm movere delinquentum animos competeriat : licet ergo Episcopis , imò tenentur , vitia inquirere , reosque , ubi opus fuerit , ecclasticiis poenis punire : quae si satis efficaces non sint , patet ipsis recursus ad potestatem saecularem , quae praestò erit quoties finis , ad quem à Deo instituta est , exigat , cap. 1.

Si potestas saecularis ecclasticam adiuvare tenetur , minimèque eam impidere , patet sane quām potiori ratione praestare id ipsum debeant invicem Iudices Ecclastici inter se ; unde in cap. 3. rescribitur , ut quoties inferior subditum suum censura coerct , eam minime relaxet superior sine conscientia , et satisfactione inferioris : aliquo enim facile eluderetur potestas Praelatorum . Hic obiter notandum

dum est in *dict. cap. 3.* item et in *2. tribui Parochio* potestatem ferendi censuras; verum de illis intellegendum est, *quibus iure speciali competenteret*. Quam cautè se gerere debent Episcopi in censuris infligendis dicemus alibi: hic illud tantum est animadvertisendum, quod statuit in *cap. 2.* propter delicta nempe occulta, et que ordinario modo non apparent, nemini infligendam censuram, aut aliam poenam.

N. Ad officium Episcopale spectat etiam in Parochios, aliosque Ecclesiarum suae Dioecesis Ministros inquirere: dum Ecclesiam aliquam vacare contigerit, Oeconomum constituere, *cap. 4. b. tit.* et Trident. *sess. 24. de Reform.* *cap. 17.* denique per se, aut idoneas personas, Dioecesum visitare. Et quidem olim singulis annis visitabant, dum Sinodi Dioecesanae per eadem tempora habebantur: immutata autem circa Sinodos disciplina, et visitatione minus frequentes fuerunt: verum Concilium Trid. innovare studuit antiquam disciplinam *sess. 7. cap. 8. sess. 24. cap. 2.* Ut visitatio et facilius, et maiori cum fructu expediatur, singularia plura concessa sunt Episcopo per se, vel per alium visitanti: et quidem in primis interdicitur appellatio praeter quam ab excessu *cap. 13.* deinde cum Capitula exempta, quorum plurima in Hispania praesertim sunt⁽¹⁾, eo etiam post Concilium Trident. privilegio gaudent, ut Episcopus procedere nequeat in aliquem è Capitulo, nisi duobus Canonicis sibi adiunctis iuxta formam praescritam in *sess. 25. de Reform.* *cap. 6.* hoc tamen locum non habet quoties Episcopus per se solum, quibus sibi vi-

(1) Benedictus XIV. id tribuit continuus ferè Hispaniae bellicos: ad quae cum Episcopi proficerentur Reges comitatu, facile erat Capitulis tueri exemptiones: non diffiteret tamen concessa non semel fuisse à Sede Apost. huiusmodi privilegia.

videbitur adiunctis, Capitulum visitat, *sess. 6. de Reform.* *cap. 4.* Praecipitur autem simul Episcopis, ne tributis sibi facultatibus abutantur; ut consuetis iuribus contenti, nihil amplius exigant; *cap. 16. b. tit.* tandem, ut, dum Monasteria visitant (de quo latè in *lib. 3. tit. 36.*) ministerio utantur Religiosorum: adhibere autem possunt duos, aut tres Ecclesiae suae Canonicos, et Notarium Clericum, *cap. 17. eod. Extravag.* *1. inter communes.*

Denique universalis curae, quae ipsis competit, vi supplere Episcopi debent negligentiam Abbatum exemptorum, *cap. 7.* de quo etiam alibi. Et quod magis est, quanvis Delegatus Papae in causa delegata maior sit Episcopo, potest hic nihilominus illius negligentia, et malitia occurtere, quoties scandali, aut periculi animae vitandi ratio exigat, *cap. 6.*

Haec sunt, quae circa officium Episcoporum in tituli capitibus innuantur: plura alia dabimus in processu: omnia exhaustare velle, et longum fore, et ab instituto nostro alienum.

De officio Iudicis.

Iudex neutri Parti favere potest, sed aequa lance disposita ius unicuique suum tribuere tenetur secundum allegata, et probata: hoc autem non impedit, quomodo ea peragat, quae ad boni Iudicis officium pertinent: tale est Advocatum praebere Parti, quae ob paupertatem, aut aliam causam, eo caret, ut praescribitur in *cap. 1. b. tit.* quo casu exercere dicitur officium nobile, ut etiam quotiescumque nulla praecedente disceptatione iuridica quidquam agit tanquam publicus aquitatis, et iustitiae vindic, veluti si in integrum restituat, tutores pupillis, aut curatores minoribus designet. *Officium mercenarium* exer-

exercere dicitur, quando Partibus inter se litigantibus iuxta leges procedit.

TITULUS XXXIII.

De Majoritate, et Obedientia.

Utilissimum iudicatum fuit in omni Societate diversos statuere hinc imperantium, illinc subditorum gradus, ut debitum cuique servatis iuribus, et honoribus, recta evadat gubernatio. Ecclesia aequè adlaboravit, ut distinctio inter dignitates, et cuique suos honos tribueretur: hoc pertinet sententia Concilii Nicaenae in *can. 14. dist. 93.* huc frequenter aliorum Conciliorum decisiones, et denique hic titulus, in quo quaeritur de unius dignitatis præ alia excellentia.

Et quidem occurrere contentio de praecedentia potest aut inter Dignitatem Eclesiasticam ex una parte, et Saecularem ex alia, vel inter Eclesiasticas utrinque: primo casu suus honos cuique servabitur iuxta diversa cuiusque officia: in Conventibus autem publicis iam diu receptum est, quod facto contendentes protestentur ne cui ex facto ius oriatur; quod etiam in Concilio Tridentino statutum fuit, ne controversiarum huiusmodi occasione impeditur. Si autem contentio inter Dignitates Eclesiasticas oriatur, servandae erunt receptas consuetudines, et statuta singularia; his verò deficientibus admissae communiter sunt regulæ sequentes. Inter pares iurisdictione præfertur major ordine, ut accidit in Episcopis, inter quos prævalet senior, id est, antea ordinatus: si concurrat utrinque ordo absque iurisdictione, minor ordine subjetat maior; sic Subdiaconus Diacono, hic autem Presbitero: maior iurisdictione semper coeteris præfertur, quanvis ordine minor sit. Inter ipsas quoque iurisdictiones quaedam præstantiores censentur; sic excellentior dicitur ci-

viliis criminali, potior ordinaria, quam delegata.^{Nr}
Quod in praecedentis iurisdicitione ordinis prævaleat
ex eo est, quod prærogativae huiusmodi ad exter-^{ra}
nam politiam expectent.

Concilium Trident. statut sess. 25. de Regulari.

cap. 13. ut Episcopi appellatione remota compone-
rent contentiones, quae oriri solent circa praecedentiam
in processionibus, et pompis funerum. Acces-
serunt deinde sequentes Constitutiones. Pius V. in
Constit. *Divina ann. 1568.* declaravit Fratribus Prae-
dicatoribus competere ubique etiam in privatis acti-
bus praecedentiam ante quosunque Ordines Mendi-
cantes. Clemens VIII. in Constit. *Inter coetera ann.*
1592. concessit eis praecedentiam ante alios omnes
Ordines Regulares, exceptis antiqui Ordinibus Mo-
nachalibus. Ex Constit. Benedicti XIII. *Pastoralis offi-
cii ann. 1726.* Fratres Minores de Observantia præ-
feruntur omnibus Reformatis. Denique tam ex Constit.
Militantis Ecclesiae eiusdem Pontificis, quam ex
Const. Benedicti XIV. Apostolici præcepti ann. 1557.
Canonici Regulares Congregationis Lateranensis Ordi-
nari S. Augustini, statim ante omnes alios Clerum
saecularem sequuntur.

Capita huius tit. intelligenda sunt iuxta principia alibi jacta; præsertim vero cap. 1. *inter Extravag. comm.* cui accessit declaratio Clementis V. in cap. 2. *de Privilegiis inter Extravag. comm.* Monere autem speciatim expedit cautè legenda argumenta Innocentii III. in cap. 6. b. tit. ne quis ex eis deducat Reges potestatem à Summis Pontificibus accepere, sicuti à Luminari maiore lux communicatur mi-
nor, quod foret absurdum.

Ita contentio ex multis iurisdictiis, sequentiis sub-
ordinatis, etiam nulli iurisdictiis, utrumque iurisdictio
magis subiecta, ali hec prædicta, et si non iurisdictio
nullum, et iurisdictio nonnullum, inveniatur.